



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentiss Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726

VD18 80217915

Consultatio III. Sterilitas fæcunda: ubi fit sermo de parentibus sanctissimæ
Virginis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45581

CONSULTATIO III.

*Sterilitas Fœcunda, ubi fit sermo de parentibus
Sanctissima Virginis.*



Nil insanius est homine jactabundo de nobilitate & antiquitate illustris prosapiae suae qui dum jactat prosapiam, suam ostendit insipientiam. Est equidem semper ridicula vanitas, nunquam tamen absurda est magis, quam in ejusmodi hominibus. Sylvius & Martina soror ipsius usque adeo hoc sumo fuere ebrui, ut nulli non molesti essent importuna genealogiae suae enarratione, & omnes quoque illorum se oblectarent stoliditate. Erant loci illius illustriores, & quia noverant, duos illac transire exteros & advenas, accesserunt nos invisum, sub obtentu, ut addicerent ex nobis nova, sed reipsa, ut ipsi dicerent nobis antiqua, quae revera non minus jucunda visa sunt nobis, quam cuncta nova, quae dicere nobis potuissent.

Memini, inquiebat Sylvius, quod, dum admodum juvenis adhuc eram, ex meo perceperim avo, qui erat veneranda senex canitie, & eximiorum vit meritum; quod, dum meos is nu-

merabat annos, intellexerit ex suo proavo, qui a centum annis non procul aberat, descendisse nos ab illustri valde familia. Videns tam longè distita accersere ipsum, submissa voce dicebam ductori meo: Nunquid dicit descendisse se ex uno filiorum Noë? Is bene intellexit, & conversus ad me cum leni risu, quo approbare meum volebat esatum, credo, legisse te archiva & tabularia domus nostrae, dicit mihi; Ita, fruimur prerogativa, ut inter suos nos numerent primi illi reparatores mundi.

Novimus, quod post diluvium plures orbis peragravit regiones, ut pro habitatione sua illarum seligerent jucundissimam; praeulerunt Italiam cunctis aliis & inspectis omnibus, tandem suam fixerunt sedem in Umbria. Uxor vocabatur Tidea, illa Sem filii ipsius natu majoris pandora, illa Cham filii ejus natu minoris appellabatur Noë; & illa Japhet natu minini nuncupabatur Neogata: Non sumus adhuc satis certi, a quo ex tribus descenderimus, quamvis omnem circa indagatione hujus antiquitatis impenderimus dili-

r. Tim

Ludovic
Jacobus
Folig
Nomin
Uxor
Noë &
liorum
jus
Scriptur
nil loqu
tur de p
rentibu
Sanctiss
Virginis

diligentiam. Quantum ad me, inveni antiquam quandam scripturam dimidiatam ex parte deletam in monumento cujus est majoribus nostris, ex qua aliquam haurire mihi licet conjecturam; sed in claram rei cognitionem devenire non valeo; dolendum sane est, nos verificare non posse per scripturam, quod tenemus ex traditione. Nam dubio procul familia nostra accensetur uni ex antiquissimis totius mundi.

Quod pro maximo meo solatio indubitatum profus habetur, non obstante omni invidia, est, quod cognationis & propinquitatis vinculo conjuncti sumus Sancto Joachim & Sanctae Annae, parentibus Sanctissima Virginis; Et hoc esse credo unde in familiam nostram coelestis dimanet benedictio; difficultas solum est, ut, qua ex parte, constet nobis; sed attende, impertiar tibi desuper, quas habemus informationes.

1. Tim. 2.

Hic Ductor & Comes meus, qui vacillare suam advertibat patientiam, probe gnarus, quid S. Paulus scripserit Timotheo, quod non oporteat intendere fabulis & genealogiis interminatis, subito interpellat illum, ipsique ait: Domine, quaestiones haec nimium procul nos abducunt; mihi satisfactum crederem, si de eo me bene informaret, quod concernit personas duas ultimas, quarum fecit mentionem, sanctum, Joa-

chim & sanctam Annam; an probe nostin illas! Indagavi in toto sacro codice, & inveni, quod nec verbulo tangat ipsas, quod haud leviter me tenet attonitum: siquidem cum faciat mentionem tam honorificam de parentibus S. Joannis Baptistae, Zachariae & Elisabeth; unde venit, quod necapice attingat illos Sanctissima Virginis sanctum Joachim, & sanctam Annam? an tanti non sint, ut nomina illorum factis mererentur inseri fastis? & nonne putas, non minus meruisse sanctissimam Virginem, ut parentum suorum texerentur Elogia, quam Joannem Baptistam, ut suorum resonarent praecomia genitorum? nihilominus profunda sepulti sunt oblivione: unde hoc oritur.

Nescio, respondit is mihi, satis modestè; Fateor me non tantam navasse operam evolvendis factis voluminibus, quam indagandis heroicis majorum nostrorum gestis; hoc enim cumprimis decet nobiles, docetque quinam & quanti existant valoris. Miserebar tam ridiculae vanitatis, & probe videns, quod ulterius urgere illam vellet, volui tam procul illum abducere, ut reverti amplius non posset. Quam ob rem induxi animum, ut responsum darem comiti meo ad illud, de quo is ipsi informationem dare non poterat: scilicet,

H 2

ARGU:

Ludovicus
Jacobus
Fulgens
Nominis
Uxor
Noë &
iorum
us.

Scriptura
nil loqui-
tur de pa-
rentibus
Sanctissima
Virginis.

ARGUMENTUM.

*Quare sacra scriptura nihil loquatur de paren-
tibus Sanctissima Virginis.*

ARTICULUS I.

Absque dubio non caret id consilio; videtur, ipsam consultò involvisse illos silentio. Non immeritò reprehensibilis foret Historicus profanus, si multa omisisset vel ex inadvertentiâ, vel ex ignorantia; cogitare autem non licet de sacrâ Scripturâ, quæ Spiritûs Sancti est opus, quòd scripserit vel unicum verbum, vel minimum quid omiserit absque speciali ordinatione DEI. Ecce non, dicit mihi, subasperè sylvius; nonne plurima alia, quorum non meminit scriptura? Quid invenis in hoc mysterij? Invenio in hoc, quod, cum totum vetus Testamentum fuerit tam exactum in recensendâ totâ genealogia parentum Sancti Josephi, ne verbulo quidem attingat parentes Beatissimæ Virginis: Invenio etiam in hoc, quòd, cum novum Testamentum tam honorificè loquatur nobis de parentibus sancti Joannis Baptistæ, quos appellat Zachariam & Elisabeth, tam altum teneat silentium de illis gloriosissimæ Virginis, ut ne quidem ipsorum recenscat Nomina. Invenio denique in hoc, quod Evangelistæ non solùm præ-

Mysterium est, quod Sacra Scriptura nil loquatur de Patre & Matre sanctissimæ Virginis.

tereant silentio Joachim & Annam, Patrem & Matrem Sanctissimæ Virginis, sed etiam eodem involvant ipsius Nativitatem, ipsius juventutem, ipsius educationem, quæ omnia observatu digna forent. An credibile sit hoc factum esse absque mysterio?

Sed quale tandem mysterium, replicuit mihi ipse? Hoc est, quod nòsse pereuperem; Nonne imprimis mysterium sit, quod, cum sanctissima Virgo gloriosam obtineat dignitatem Matris Filii Unigeniti DEI Patris, Sacra Scriptura insinuare nobis voluerit in ipsâ gloriosam similitudinem innascibilitatis & Paternitatis ipsius, quæ duæ rationes sunt Personæ Patris propriæ. Ad ostendendam aliquò modò innascibilitatem, non dicitur, ipsam natam esse ab aliquo; non, quod reipsâ non habuerit Patrem & Matrem, sed consultò id profundo absconditur silentio, quasi ad tollendum hujus rei imaginem & idæam, atque proponendum illam nobis, quasi esset innascibilis.

Et ad declarandum nobis in illâ veram quandam maternitatem divinam; dum absconditur nobis Pater

Carnos
catur, in
tissimam
Virgine
elle ex
quo, d
tur ann
ex ipsâ
tura esse
dium DEI

Pater & Mater ipsius, manifesta-
tur nobis Filius ipsius Unigenitus;
tacendo, quod ipsa sit nata ab alio,
dicitur statim ab initio, quod ex
ipsa natus sit Filius DEI: *De qua
natus est JESUS, qui vocatur
Christus*, quasi ad innuendum,
quod idem Filius, qui constituit
DEUM Patrem in dignitate Patris,
constituat quoq; Sanctissimam Vir-
ginem in incomparabili dignitate
Matris DEI; unus non est Pater,
nisi quia habet Filium, quem è
propria sua producit substantia; &
altera non est Mater, nisi quia eun-
dem è propria sua produxit Fi-
lium. Crederem hoc esse myste-
rium silentii, quod servat scriptura
circa Patrem & Matrem sanctissi-
mæ Virginis. Hoc concipere nos
facit in ipsa imaginem quandam
duarum rationum DEI Patris, in-
nascibilitatem & paternitatem.

Comes meus suum adiecit cal-
culum primæ huic rationi, & ap-
probavit illam tanquam pulchram
& solidam. Sed sylvius, qui
admodum spiritualis non erat,
nec doctus ad illam capiendam,
nunquam non inhærens suis prin-
cipiis circa gloriam majorum suo-
rum, quam animo versabat, ob-
jecit mihi, quod semper id esset
imminere aliquid ex gloria San-
ctissimæ Virginis, dum non di-
citur, ipsam esse filiam parentum
non minus profapia, quam sancti-
tate illustrium, quales fuere Joa-
chim & Anna. Siquidem legi,

ajebat, præclara elogia; quibus
Nicephorus ipsos exornat in sua
historia, ubi affirmat, quod fi-
delissimè custodierint omnia præ-
cepta legis DEI, quod comparave-
rint sibi maximam existimationem
supra maximos quosq; istius sæculi,
quodq; tandem fuerint nobilissimi:
Splendidissimi nobilissimique genere.
Cur igitur denegeret sanctissimæ
Virgini honorem, quam habere possit
è cognatione tam gloriosâ?

Hoc bonum foret, inquiebat
ipsi, si Sanctissima Virgo suam
traheret nobilitatem è suis paren-
tibus; sed potius hinc accidit con-
trarium; Nam parentes ipsius no-
bilitantur ab illâ. Si excellentiæ
ipsius suam haberent originem in
Patre suo, & Matre suâ, oportuis-
set ipsos prius producere in me-
dium, ut radios gloriæ suæ dif-
funderent in illam, sicut sol suum
impertit jubar astris se circum-
danibus: Verum ordo hinc profusus
est oppositus; siquidem sanctissima
Virgo omnem suam gloriam reci-
pit à JESU, Christo Filio suo; &
exin Sanctus Joachim & Sancta
Anna maximam suam recipiunt
gloriam à Filia suâ, per quam sibi
acquirunt prærogativam hanc in-
comparabilem super ceteros om-
nes Sanctos, quod proximâ pro-
pinqvitate, secundum carnem, con-
juncti sint salvatori mundi, è quod
verè existant Pater & Mater ipsius,
avus, inquam, ipsius & avia.

Et fortassis ad declarandum me-
lius. Quare tam-
diu.

diu celebra-
tum non
fuerit Fe-
stum S. An-
næ.

liusque ostendendum hanc redhi-
bitionem gloriæ, quam Filia dif-
fundit in Patrem suum & Matrem
nullo visa est resplendere fulgore
ipforum gloria, nisi postquam
longo jam tempore suos splendo-
res ubivis diffuderat gloria Filia,
Siquidem non solum Evangelium
mentionem illâ non honoravit ipso-
rum Nomina, sed plura efflaxê-
re jam sæcula, antequam cultu so-
lemni celebrari cæperit Sanctæ
Annæ Festivitas, quam longo post
tempore illa Sancti Joachim mo-
dò est subsecuta.

Hic Macrina, quæ devota fue-
rat Sanctæ Annæ discursum in ter-
rumpens conquesta est de hâc mo-
râ & diurnâ cunctatione, velut
de injuriâ quâdam, quam illatam
credebat illustrissimis hisce Sanctis-
simæ Virginis parentibus, quod
ipsis tanto temporis intervallo sub-
tractus fuerit cultus & honor, jure
meritissimo Sanctis debitus: ho-
norandi fuerant, inquiebat, ubi-
primùm ipforum fuerat explorata
sanctitas, & legitimis approbata
testimonis. Jam an potuit Eccle-
sia dubitare, unquam de sanctitate
Sancti Joachim & Sanctæ Annæ;
cum verum sit, conosci arborem
ex fructu suo? ubi primùm colle-
git illa primum fructum suum,
nempè MARIAM, quæ plena est
gratiâ; Et exin secundum fructum
suum, si ita ipsum nuncupare au-
deam, Fructum ventris MARIE
JESUM omnium fontem ac origi-

Cognosci-
tur arbor
ex fructu
suo.

nem gratiarum? An dubitare ipsa
potuit, quin arbores, quæ tales
portaverant fructus, essent arbo-
res vitæ, & ab instanti, quæ
avulsæ sint ex hâc morientium ter-
râ, transplantatæ sint à manu DEI
in paradysum deliciarum ad vivend-
um ibi in æternum? Ut quid er-
gò tam longa producta est mora,
quæ colerentur velut Sancti, ipso-
rumque celebraretur Festivitas?

Ad hoc non habebam, quod
dicerem, nisi quod, cum non in-
veniamus in historiâ Ecclesiasticâ,
nec in traditione Sanctorum Pa-
trum, quo tempore inceperint
honorari velut Sancti; credendum
nobis sit, ipsos semper ceu tales
honoratos fuisse, juxta universa-
lem hanc regulam, quam habemus
circa traditiones: Quando inven-
imus Ecclesiam in possessione
alicujus opinionis, aut Sancti cu-
jusdam exercitii; si quisquam vo-
luerit ipsam desuper oppugnare;
incumbit monstrare tempus, quo
Ecclesia cæperit iniquè hujus intro-
ducere usum, aliàs, cum invenia-
mus eam in possessione, dicemus,
ipsam semper hanc habuisse. Sic
credendum nobis est, quod San-
ctus Joachim, & Sancta Anna
semper honorati fuerint velut duo
magni Sancti, licet fortassis abs-
que solemnitate publicâ, tamque
magnificâ, uti postquam Papa
Gregorius XIII. præcepit celebra-
ri Festum Sanctæ Annæ in univer-
sâ Ecclesiâ cum officio duplici; &
post

Regula tra-
ditionis Ec-
clesiæ.

Quis in-
tulerit Fe-
stum S.
Joachim &
S. Annæ,
post

post ipsum Gregorius XV. Festum Sancti Joachim, Anno 1623. sicut annotatur in vitâ Sanctorum.

Non oritur unquam dies mundo derepentè in plenâ suâ meridie habet auroram suam, quâ evolvitur è tenebris, & exin semper magis magisque inclarescit, & majora acquirit luminis incrementa.

Satis fuerat ab initio Ecclesiæ aspiceret auroram, quæ producebat ipsi solem justitiæ, & magnum jubar gratiæ, id est, Sanctissimam Virginem; quæ peperit ipsi JESUM Christum; non habebat ipsa ab initio oculos nisi ad intuentem nascentem hanc pulchritudinem, quâ mirum oblectabatur; aliquanto post tempore cognovit Sanctum Josephum castissimum Matris hujus Virginis sponsum, velut astrum, quod, cum propinquum sit soli, ex ejus participet lumine, & veluti magnum Sanctum incepit honorare ipsum; & labente tempore ejusdem luminis beneficio agnovit Sanctum Joachim & Sanctam Annam. Sic affirmari potest, quod Sancta Ecclesia, cum illuminata non sit nisi eodem sole veritatis, qui totum suum largitur ipsi splendorem, viderit ab initio ruditer omnia, quæ postea vidit magis enucleatè, magis in specie & distinctè, & ex hoc patet nobis, quod suavissima & sapientissima directio Spiritus DEI nutrire & roborare noverit devotionem Ecclesiæ suæ, suppe-

ditans ipsi semper nova argumenta, magis confirmandi, magisque extendendi pietatem suam.

Majorem te habeo cognitionem, interpellat me ductor & Comes meus. Luculenter mihi constat ex Lectione Sanctorum Patrum, quod devotio erga Sanctum Joachim & Sanctam Annam admodum antiqua existat in Ecclesiâ. Siquidem non solum Sanctus Epiphanius in eximiâ quâdam oratione, quam concinnavit de laudibus Virginis, valde honorificè loquitur de Sancto Joachim velut Patre ipsius & avo JESU Christi, & Sanctus Damascenus in tribus orationibus, quas elucubravit pro die Natali Sanctissimæ Virginis, eximiis elogiis condecorat Sanctum Joachim, & Sanctam Annam velut parentes ipsius. Sed Sanctus Augustinus ætate multum præcedens Sanctum Joannem Damascenum in libris, quos exaravit contra Faustum Manichæum, reprehendit hunc hæreticum ex eo, quod dixerit, Sanctum Joachim fuisse Sacerdotem è tribu Levi, & demonstrat ipsi, quod descenderit è regni tribu & stirpe Juda. Et quod spectat ad Sanctam Annam, habemus de ipsâ quoque testimonia, tum magis antiqua, tum magis manifesta. In Menologio Græcorum habetur, quod Imperator Emmanuel procuraverit, ut ipsius Festum celebraretur velut unum è præci-

S. Augustinus contra Faustum lib. 23. cap. 2.

Antiquitas devotionis erga S. Joachim & S. Annam juxta Patres.

Lux data est Ecclesiæ paulatim & successivè, sicut dies datur mundo.

gula trionis & fia.

is infirmitatem S. Joachim & Annæ,

precipuis & maximè solemnibus Ecclesiæ. Imperator Justinianus extruxit ipsi Constantinopoli, Ecclesiam valde magnificam, quod haud obscurè innuit, devotionem erga ipsam non fuisse mediocrem, nec novam. Ingens Auctorum valde celebrium, tum Græcorum, tum Latinorum numerus scripserunt de ipsâ admodum amplè & honorificè, velut Sanctus Epiphanius, Andreas Cretensis, Fulbertus Episcopus Arnotensis, Trithemius, tantique alii, ut nulli dubio relinquunt locum, quin devotio erga hanc Sanctam valde antiquam extiterit in Ecclesiâ tum Orientali, tum Occidentali; & consequenter non fuerit prima in-

Vide Annotationes in Martyrologio 26. Julii.

situtio, sed renovatio ipsius Festi, quando Gregorius XIII. mandavit id singulis annis celebrari, cum officio duplici in totâ Ecclesiâ, per Bullam datam Anno 1584. duodecimo Pontificatus sui anno.

Verum ex quo plura addidici de Sancto Joachim & de Sanctâ Annâ, est Sanctus Hieronymus in sermone quodam, quem efformavit de Nativitate Sanctissimæ Virginis: quamvis dubitent nonnulli an verè Sancti Hieronymi sit, saltem est alicujus Auctoris valde antiqui, & pleraque, quæ dicit, confirmantur ab aliis Auctoribus. Recensebo tibi hinc ex illis nonnulla, quibus haud dubiè oblectaberis.

S. Hieronymi serm. I de Nativitate.

ARGUMENTUM.

Eximii mores & ratio vite, quibus resplendent Sanctus Joachim, & Sancta Anna.

ARTICULUS II.

D. Thom. 3. P. Q. 27. art. 5.

Incipiam lubens & pulchro discursu Sancti Thomæ, qui non solum inserviet velut solidum, fundamentum omnium eorum, quæ dicam, sed infallibiliter quoque disponet omnem animum ratione præditum, ut faciliè crediturus sit illud, quod asserunt nobis Sancti Patres. Quando Sanctus Thomas loquitur de Sanctissimâ Virgine, dicit, dubitari non posse, quin possederit ipsa omnem

Discursus probans magnam sanctitatem

abundantiam gratiarum, quarum capax est pura quædam creatura, eò quod tam vicina fuerit ipsa fonti gratiarum, qui est JESUS Christus, ut impossibile fuerit ipsi esse viciniorem, nisi ipsemet fuisset ipsa. Extendam igitur discursum ejus usque ad Sanctum Joachim & usque ad Sanctam Annam, & dico, quod post Sanctissimam Virginem, oporteat ipsos esse magis divites omnibus Sanctis, in gra-

S. Joachim & Annæ

Conclu-
Novar-
sum o-
umbrâ
ginâ.
Eustat-
in Hex-
ton.

Quæ f-
rint di-
Joachim
& Annæ

gratiâ & sanctitate, eodquod post illam magis propè accedant ad fontem gratiarum, qui est JESUS Christus; Nonne enim sunt ipsi verè per MARIAM filiam suam, parentes, id est, avus & avia ipsius secundum naturam humanam? Nonne respicient ipsi JESUM Christum, velut verum Filium, id est, nepotem suum. Nonne communicaverunt ipsi propriam substantiam suam Filiae suae, & Filia, nonne substantiam hanc, quae accepit ab ipsis communicavit proprio Filio DEI, ad efformandam Sanctam ipsius Humanitatem? O prodigium gloriæ ô miraculum ausculta.

Confule
Novari-
um de
umbrâ Vir-
ginæ.
Eustacius
in Hexame-
ron.

Ausculta modò, quod tibi dicat Sanctus Hieronymus, qui Doctor & Pater est magnæ auctoritatis; Et ut testimonium ejus magis roborum adjungo illi secundum testem Sanctum Eustatium, cunctorem valde antiquum, & similiter magnæ existimationis, quamvis cognitus non fuerit nisi ab aliquibus sæculis. Hi duo testes profus irrefragabiles conveniunt quasi in omnibus iis, quæ percipies. Affirmant, quod ambo hi conjuges duxerint vitam coram DEO innocentissimam, & irreprehensibilem coram hominibus, quod divites fuerint non in thesauris auri & argenti, sed hoc divitiarum genere, quæ oriuntur è bonâ rei familiaris administratione, magnâ gregium frequentia (hæc namque erant di-

vitæ antiquorum Patriarcharum, Abraham, Isaac & Jacob) sed divites erant absque avaritiâ, siquidem tam benè collocabant bona & facultates suas, ut in tres illas dividerint partes, quarum unam consecrabant Templo & Ministris Altaris, alteram pauperibus & peregrinis, tertiam necessitatibus suæ familiæ. An aspicias bonum, quem servarunt ordinem: DEUM prætulere cunctis, exin observaverunt e proximum, locò novissimò statuerunt semetipsum, minimam sibi metipsis impendentes curam.

Asserunt secundò, quod Sanctus Joachim addictus semper fuerit exercitiis & operibus devotionis, anteponebat hæc omnibus, illaque diebus congeminans festivis ubi duplò majora offerebat in templo munera, quàm diebus cæteris; Et hoc ipsum erat, quod conciliaverat ipsi, quamvis haudquaquam id intenderit, assimationem & amicitiam plurimorum, quoad excitaverit per hoc invidiam & emulationem aliorum: siquidem virtus est instar solis, quantò fulserit magis, tantò magis offendit & offundit oculos, & tantò videtur minùs, quantò magis est visibilis. Cum occurreret magis dies Festis, Joachim inusitato accensus Zelo anteibat cæteros omnes, & primus erat in offerendis muneribus suis templo: Sacerdos quidam, quem Eustacius Rubinam nominat, & Sanctus

quomodo
illis fuerint
ubi.

Emulatio
cujusdam
sacerdotis
in templo
persequitur
Sanctum
Joachim.

Quæ fue-
runt divitiæ
Joachim
& Annæ &

R. P. Isaac Tom. III.

I

Hie.

Hieronymus Isaac; qui procul dubio non erat Pontifex vel sacerdos magnus, cum eo tempore nullus id nominis gereret, sed sacerdos quidam secundi ordinis, indignatus ob illius industriam & donorum ejus abundantiam, repudiavit & repulit ipsum cum contemptu ac injuria: Recede hinc, ut quid primum huc te ingeris? tu qui probrum circumfers sterilitatis, æquiparatus nōne ex novissimo omnium in templo?

Cogita, quæ confusio coepertuerit faciem ipsius, dum ira scaccipi videbat à sacerdote in templo eorum omnibus, tam sancto incumbens operi; elatus animo fuisset exin iracundiæ abreptus æstro, & reddidisset forsitan pro injuriâ injuriam; sed veris servis DEI solemne est recipere injurias velut beneficia: Hinc Sanctus Joachim magnâ cum modestiâ recedens, seque ab hominibus repudiatum, convertit se ad DEUM: In te, Domine, inquit omne meum colloco solatium; moxque concedens in desertum, conscenso montis cujusdam vertice, ibi parvulam & pauperem extruxit cellulam, ibique solus cum DEO solo quadragintidiale incipit jejunium, ac in ferventi & continuâ oratione effundit coram DEO cor suum.

Oratio servus Sancti Joachim in solitudine. Domine, cor contritum & humiliatum ne despicias: Eheu! velut excommunicatus æstimor indignus ingressu Templi tui: Aspi-

ce humiliationem meam oculis paternæ misericordiæ tag! locupletasti me huc usque tantâ benedictionum tuarum abundantia; ah unicam solam ne abnuas servo tue, concedens illi sobolem, perquam liberetur ab opprobrio, sub quo ingemiscunt steriles in populo tuo. Audisculta me, ô DEUS Patrum nostrorum, novi ætatem meam admodum provecam & annis gravem, conjunctam indispositioni meæ corporali, geminatâ vice me reddere impotentem ad generandam prolem; sed tu potes omnia, ô DEUS Israël! DEUS Abraham Patris nostri! recordare eandem te illi concessisse gratiam; quam à te effligito. Exaudi preces meas, vel hic moriat prostratus ad pedes tuas.

Sancta Anna ex parte suâ haud ignara angustiarum conjugis sui, & ardentium, quas effundebat in monte, precum, secessit quoque in hortum suum, ubi parvulo sibi exstructo oratorio, & penitentia ac humilitatis assumpto habitu, trahebat moras, prostrata genibus & facie in terram, tota conversa in preces, tota effusa in lacrymas, tota succensa desideriis obtinendâ DEO, quàm effligitabat, benedictionem. O DEUS Abraham! ô DEUS Patrum nostrorum, qui misericorditer respiciens Saram, concessisti ipsi filium in extremâ senectute suâ; iisdem me aspice misericordiæ oculis

Recurre
debemus ad
DEUM,
dum abjici-
mur ab
hominibus.

Efficit
oratio
humil
servid.

Joachim
precum
in monte
Anna
hortum
s. Ep
nius
de las
Virg

Quis
fuerit
poterat
natura

lis; confido, misericordiarum tuarum thesaurum nondum esse exhaustum; concede mihi sobolem, quam offerre tibi possim in Templo tuo, eamque perpetuo tuo devovere servitio.

Efficiat
orationis
humilis &
servida.

Oratio fervens & humilis, quam potens est coram DEO! Infinita hæc bonitas orationis ipsorum virtute commota, mittit illis Angelum. Sanctus Hieronymus dicit, quod fuerit Angelus Gabriel, utriusque speciatim annuntians, quod efflagitata obtinuerit à DEO, quædamque ipsorum suspiria è cordis meditullio emissa, ipsorum preces tanto eum ardore ac perseverantia in cælum evibrata extiterint velut copiosus imber, quo irrigata & fecunditate donata fuerit ipsorum sterilitas. Quanto persundebantur gaudio, dum dicentem sibi audierunt Angelum, juxta narrationem Sancti Hieronymi. *Ne timeas Joachim, sum enim Angelus domini, missus ab ipso, ut annuntiem tibi, exauditam esse orationem tuam, & non obstante sterilitate & senectute vestra, ipsum vobis daturum sobolem.*

Quanta
fuerit im-
potentia
naturalis

Joachim magis credulus Zacharia Patre Sancti Joannis Baptiste, nullus omnino dubitavit de promissione à DEO sibi per Angelum factâ. Credidit velut Abraham in spem contra spem; id est, sicut explicat Sanctus Remigius, contra spem naturæ, secundum spem gratiæ. Reversus est igitur in domum

suam, omnimoda spe plenus, visurum se tempore suo promissionis hujus executionem; Et Sancta Anna eadem confirmata fide pari ratione excepit ipsum. Erant duo corpora emortua, ut verbis scripturæ utat, *emortuum Corpus*, id est, quæ amplius non habebant illam vitæ & vigoris abundantiam, necessariam Patribus ac Matribus ad communicandum vitam proli- bus; Sed solum tenuem quam- dam residuam portionem, quæ vix sufficiebat ad conservandum illam quantumvis languentem si- bimetipsis. Imò casti ipsorum amores non oriebantur è concupiscentiâ carnali, quam provec- tæ ætas jam extinxerat in ipsis, siquidem carnis tempus fuerat elapsum; sicut loquitur Sanctus Chryso- logus: *Donec transiret tempus carnis; & erat tempus spiritûs, id est, spiritus DEI, qui animabat ipsos.* Et Sanctæ Annæ factæ jam Matri poterat aliquo modo dici, quod dicebat Angelus Sanctissimæ Virgini; Quod natum est in te, ex virtute est & opus Spiritûs Sancti; non quod una conceperit sicut altera, absque concursu alterius sexûs, sed quod virtus hæc ipsis concessa non fuerit ex concupiscentiâ naturali, sed ex sancto quodam ardore spiritûs, & unico desiderio aspiciendi adimpletam promissionem sibi factam à DEO.

Joachim, &
S. Annæ.
Novarinus
num. 1220.

Sanctissima
Virgo est
magis filio-
gratiæ
quàm na-
turæ.

Erat satis id nobis dictum, nec clarius se desuper explicare erat

Facile credi
potest, Sanctissimam
Virginem
non contraxisse peccatum originale.

opus, ut intra limites pudoris necessarii constringeretur sermo. Interpellavi ergo ipsum, & dixi: *Judicio igitur tuo Sanctissima Virgo non tam est filia e corporibus, quam animis ipsorum progenita? Ipsa igitur potius fructus est enascens e gratis & virtutibus ipsorum, quam e sensibus, & passionibus illorum naturalibus; Et omnes, qui bene comprehendunt hanc veritatem, haud difficulter credent, Sanctissimam Virginem conceptam esse absque macula peccati originalis, eo quod hoc non commaculet animas infantium (iuxta sententiam saltem doctorum quorundam) nisi ob immoderationem, quam impurus igni concupiscentiae naturalis conciliat in animabus parentum, multiplicare volentium numerum filiorum Adae.*

Expecta, resumit ille interpellans me, nondum est tempus loquendi de Immaculata Conceptione Sanctissimae Virginis; argumentum hoc est speciatim tractandum, & paulo fuitus: quaestio hic est de excellentia parentum ipsius, de perfectionibus, & singularibus ipsorum prerogativis: An non admiraris specialem directionem magnae providentiae DEI circa personas illorum? Ipse est, qui humiliat & qui exaltat, qui mortificat, qui pauperem facit & ditat quique videtur auferre omnia animabus, quibus vult donare omnia.

Aspicias, quomodo humiliet primo S. Joachim & S. Annam, imponens illis spatio viginti annorum, secundum S. Hieronymum, vel spatio quadraginta annorum juxta alios, opprobrium sterilitatis in conjugio suo, quae despiciabilis admodum, erat in populo Israel, & magnam illis, qui affecti hac erant, pariebat dedecoris notam, plurimasque adfiscebat injurias, ultra tristitiam & afflictionem, quibus propterea in suis diffecabantur mentibus: Et post longam hanc patientiam ipsorum probationem, in magna hac sui humiliatione, coronavit ipsos gloria honorabilissimae secunditatis, qualem vix unquam concesserat ulli hominum, post illam Sanctissimae Virginis.

Aspicias, quomodo mortificet illos ab initio: facit ambos naturaliter nasci steriles; Et exin provehit ipsos ad aetatem quasi decrepitam & effectam, ut primae ipsorum sterilitati adjungatur secundam quandam generandi proles impotentiam; & quando omnia videbantur ipsis maxime desperata, utpote jamjam expectantibus mortem, absque spe reviviscendi more aliorum Patrum & Matrum in posteritate sua, concessit ipsis pretiosam hanc Filiam, ex qua nascitura erat omnium mortalium vita, ad tribuendum illis vitam in aeternum in benedictione omnium sanctorum.

Si Sanctissima Virgo ipsorum Filia trahit omnem gloriam suam ex eo, quod sit Mater proprii Filii DEI, uti affirmat sanctum Evangelium, Panegyrim ipsius efformans nobis paucis hisce verbis: *De quâ natus est JESUS, qui vocatur Christus.* Et si S. Thomas asserit nobis, quod dimetiendo ipsius excellentias juxta hanc dignitatem, inveniamus hinc quandam infinitudinis speciem; nonne eadem ratione philosophandum est circa Sanctos Joachim & Annam, & dicendum, omnem ipsorum gloriam consistere in hoc, quod sint Pater & Mater Sanctissimæ Virginis, eoque per illam tantâ potantur felicitate, ut posteritati suæ accenseant, filiisque suis annumerent ipsum Filium DEI; tandemque omnes Christianos ratione quâdam æstimare possint tan-

quam gloriosam suam progeniem & posteritatem; quodque si ipsorum magnitudinem dimetiri velimus ex nobili hoc munere, conspecturi hic sumus sublimitatem, quæ transcendat id omne, quod noster concipere & comprehendere potest intellectus.

Macrina, quæ erat Virgo quinquaginta octo numerans annos, magnâ demulcebatur voluptate intelligens tam eximia, tam sublimia Sanctæ Annæ præconia, sibi persuadens, ipsam ejusdem secum fuisse ætatis, quando Sanctissimam Virginem peperit; & exoptans hujus prosecutionem colloqui, interrogavit me, quare voluerit DEUS progigni Matrem Salvatoris è parentibus tantæ senectutis, iisdemque sterilibus; & ecce, quid noster Viator & Comes respondit ipsi.

ARGUMENTUM.

DEUS triumphare facit potentiam gratiæ suæ de impotentia naturæ in Sancto Joachim & Sanctâ Annâ, parentibus Sanctissima Virginis.

ARTICULUS III.

Rupertus, lib. 1. de gloria Filii DEI plures eximii viri, nati è parentibus sterilibus.

Nunquam opera gratiæ conspiciuntur magis evidentia, magisque potentia, quàm quando magis evidens est impotentia naturæ. Dubitari non potest, quin Sanctissima Virgo opus sit gratiæ, quando na-

sci conspicitur è parentibus tum senibus, tum sterilibus, id est, duplici ratione impotentibus secundum naturam. Rupertus Abbas admodum ingeniosè observavit, quod quando DEUS locupletare voluit sæcula præterita, nativitate

hominum præclarorum & insign-
nium, qui illis honori essent,
progenerari voluerit illos è Mat-
ribus sterilibus, ut toti mundo ma-
gis clarè constaret, ipsos dona &
munera esse solius suæ gratiæ, &
non effectus ac opera naturæ. Isaac
ex illustrissimis Patriarchis non mi-
nimus, nonne natus est ex Sarâ,
quæ sterilis erat? Jacob ipsius fi-
lius, in omnibus scripturis veteris
Testamenti ita decantatus, & Pater
omnium filiorum Israël, nonne
progenitus est ex Rebeccâ, quæ
similiter sterilitate laborabat? An-
tiquus Joseph, celeberrimus ille
Ægypti Pro-Rex, quem appellabant
Salvatores mundi, nonne filius
est Rachelis, quam diuturna di-
vexabat sterilitas? Samuel illustris
hic Propheta, qui unxit Saul in-
primum Israël Regem, ipsum-
que coronavit, nonne datus est
per miraculum ad preces Annæ
Matris suæ, quæ sterilem sese de-
plorabat? Et Samson hoc forti-
tudinis prodigium, qui toties li-
beravit populum Israël è tyrannide
Philistinorum, nonne prognatus
est quoque è Matre sterili! Tan-
dem Sanctus Joannes Baptista,
maximus ille internatos malicorum,
id attestante ipso Salvatore nostro,
nonne progenitus est è Matre ste-
rili, & annis admodum provectâ,
Sanctâ nimirum Elisabeth?

Nasci ex
Matre ste-
rili, est
magnum

Consideratio, quam desuper
instituit Rupertus, mihi videtur
pulcherrima. Videte, dicit ipse,

quomodò DEUS progigni volens
Filium suum Unigenitum è Vir-
ginitate alicujus puellæ, quæ mi-
raculorum omnium est maximum,
disponere voluerit mundum ad
id credendum, dum ante ipsum
tot insignes viros, qui illum fi-
gurabant, voluit progigni è sterili-
tate patrum suorum: Siquidem
magna proportio est sterilitatem
inter & Virginitatem, cum utra-
que pari ratione sit infœcunda;
consequenter credetur facilius,
JESUM Christum natum esse ex
Virginitate Matris purissimæ, quan-
do videbitur, MARIAM natam
esse ex sterilitate duplici Sancti
Joachim, & Sanctæ Annæ paren-
tum suorum.

Verùm quâ ratione disposuit
DEUS terram hanc inutilem &
sterilem ad producendum fructum
tam perfectum, qualis erat MA-
RIA Mater DEI? Inprimis, cum
viderent se steriles in progignen-
dis pigrioribus, studuerunt invi-
cem hujus sese reddere fecundis-
simos in bonis operibus, collo-
cantes omnem vitam suam in je-
juniis, in orationibus, in Elee-
mosynis, procul remoti à probro-
sâ & stolidâ avartitiâ eorum, qui
videntes privatos se prolibus, quas
honorum suorum relinquunt hæ-
redes, magnam satagunt coacer-
vate divitiarum molens, sive quòd
cum non possint amorem suum
devovere prolibus, hunc suis im-
pendant facultatibus, pro eo, quod
con-

sed nasci
Virgine, d
adhuc ma-
jus.

S. D
nus
de N
Vi
Jo
& A
rig
ster
sua
mis

Quid amo-
re debeat
qui proli-
bus carere

S. V
Fer
de
Vir

consecrare ipsum totum deberent DEO, five quod, cum sperare non possint aliud fulcimentum in senectute sua, id inventuros se sperent in thesauris suis. Hi cæci sunt non sequentes consilium Evangelicum ipsis datam: Facite vobis amicos de Mammonâ iniquitatis, id est, vestris divitiis, distribuendo illas pauperibus & egenis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Secundò considerantes se velut arbores aridas usque ad radicem, studuerunt irrigare sterilitatem suam abundantia lacrymarum suarum, probè gnari, quòd lacrymæ cordis contriti atque humiliati sint velut pluvia cæli conferens fecunditatem illi, quidquid irrigaverit.

S. Damascenus Artic. 1.
de Nativ. B.
Vig. S.
Joachim &
S. Anna ir-
rigarunt
sterilitatem
suam lacry-
mis suis.

Hinc S. Joannes Damascenus comparat illos duobus turturibus usitatum est perpetuò gemere quorumque tam fidelis est amor, ut nunquam sese longius ab invicem separent. Sancta Anna plorabat in horto suo, & Sanctus Joachim in monte, ipsorumque lacrymæ, quæ eodem dimanabant fonte, ascenderunt simul in cælum, ut conjunctim sese præsentarent ac sisterent coram DEO.

S. Vincent.
Fer. serm. 1.
de Nativ. B.
Virg.

S. Vincentius Ferrerius considerans has aquas, videre se putat, quod scriptum est in Genesi: Spiritus DEI ferebatur super aquas. Per Spiritum DEI intelligit Sanctum Gabrielem Archangelum, qui est spiritus missus à DEO; fere-

batur is super aquas, quando consolatus est illos in lacrymis suis, certò annuntians & assè verans ipsis, suas esse exauditas preces, suaque vota ac desideria fore adimplenda. O DEUS! quanta est potentia lacrymarum, cum descendere faciant Angelos de cælo, qui suas inveniunt delicias in luctu ac plantu cordis afflicti! Quanta igitur ipsarum est sublimitas; cum habeant schalas, quibus ascendant usque ad Thronum DEI, numquam repellentis illas? Quanta est igitur ipsarum virtus, cum obtineant semper, quod anhelant? Et tamen non est, qui anhelet illas.

Mira potentia lacrymarum.

Evangelium frustra nobis dicitur Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; mundus huic esato neutiquam suum præbet annutum; illi, qui accupantur felicitatem, seque student reddere beatos, uti faciunt plerique mundo astectæ, non amant ploratum, sed potius abhorrent, nonnisi ridere volentes & voluptatibus indulgere: hoc non est, quod careant dono lacrymarum, cum miseræ mundanæ in abundantia has illis subministrant; verùm lacrymæ hæ sunt, quæ nonnisi miseros efficiunt & infelices: sunt autem & alia, quæ efficiunt beatos, quæ que vertuntur in gaudium; hæ dimanant è cælo, & pretiosa sunt munera DEI; si quis harum cognosceret valorem, mallet illarum unicam,

Sunt lacrymæ, quæ faciunt miseros, & sunt, quæ faciunt beatos.

unicam, quàm cunctas mundi consolationes Antiqui idololatræ finxerunt, Venerem suam, Matrem impudicitiarum, natam esse ex mari; si insinuare per hoc volebant, quod tota submersa sit ipsa in amaritudinibus ac procelis, figmentum non esset, cum ipsissima sit veritas, nihilque hoc verius. Sed dicere, quod MARIA, Mater ipsiusmet puritatis, orta sit ex rore cæli, copiosis nempè parentum suorum lacrymis, amabilissima quoque est veritas; siquidem si Sanctus Joachim & Sancta Anna non minus abundanter quàm perseveranter plorassent, potiti fuissent nunquam æterno hoc gaudio, quod dederint DEO Matrem, & sibi ipsis Filiam prorsus divinam, totique mundo suæ principium felicitatis.

Vanitas ridicula.

Sylvius, qui non admodum hoc discursu oblectabatur, persuasus, nimis abjectum hunc esse, nimisque alienum à magnis, quas nunquam non in mente suâolvebat, idæis & imaginationibus circa majorum suorum gloriam, intercipit verba, & voce aliquantisper iracundâ; videtur mihi, inquit, parùm expertos vos esse in concinnandis virorum illustrium & præcellentium elogiis, nunquam credidero, multum laudis attribui illis, quorum sanguinem in venis meis circumferte, mihi honor est, si spargatur, magnos fuisse ipsos ploratores; æstimo virtutes, quæ

splendorem gerunt, & splendere faciunt homines oculis posteritatis suæ. Mihi parens erat. . .

Bona verba, quæso, mi Domine, inquebat Viator & Comes noster subito interpellans eum; sinamus requiescere parentes tuos in pace, nos loquimur hîc de illis Sanctissimæ Virginis; an nôsti, cur verba faciam de ipsorum lacrymis? invenio illas adeò conspicuas maximis quibusque virtutibus, quæ possint illos immortaliter consecrare hominum memoriæ, volebam facere, sicut illi, qui, cum oculos non habeant satis firmos ad aspiciendum solem in Majestate proprii sui luminis, conantur saltem aspicere illum in pelvi aquis plenâ. Proposui ab initio lacrymas Sancti Joachim & Sanctæ Annæ, veluti ad temperandum splendorem aliarum, quibus resurgent, virtutum. quas tibi exponere statuebam animo, & deinceps exponam. Videbis ibi ipsorum fidem, ipsorum spem, ipsorum amorem erga DEUM, ipsorum humilitatem, ipsorum jejunia, ipsorum Eleemosynas, ipsorum charitatem erga proximum, ipsorum hospitalitatem, ipsorum patientiam in injuriis, ipsorum mansuetudinem. Sed hoc est nimium pro unâ vice, interpellat pro more suo Sylvius satis asperè, velle videre illas magis distincte, & successive unam post alteram.

Id ipsum volo, reponit Viator, sed

Exod.
Quid
ficer
ardens
quem
Moyse

Cur sem
fiat de la
cymis
Aoran.

S. Hiero-
mus a
Joanne
Landsp
gium
2. in Fe
S. Ann

Virtute
fortman
corpore
Sanctor

sed facienda tibi hinc primùm est admonitio, quæ facta est Moyfi, quando aspexit à longè rubum ardentem & non combustum, cui cum propiùs accodere vellent ad aspiciendum melius hoc prodigium, acclamatum fuit è cælo: Ne appropies huc; Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est: Non dicitur illi, quòd rubus sit sanctus, quia de hoc non dubitabat; sed dicitur illi, quòd terra illum portans & circumdans sit sancta, & hoc ipsi non ita exploratum erat. Sanctus Hieronymus exponit hoc mysterium, dicitque nobis, quòd rubus ardens significaverit Sanctissimam Virginem, portantem proprium Filium DEI in castissimo

linu suo, quòdque terra producens & circumdans hunc rubum fuerit imago parentum hujus Matris Virginis; ipsi terra sancta sunt quam non oportet tangere nisi cum reverentiâ & loquens in specie de Sanctâ Annâ dicit: *Hec est terra sancta, qua rubum ardentem, sed incombustum permanentem germinavit.* Oportet ergo appropriare terræ tam sanctæ, non nisi cum maximâ & profundissimâ reverentiâ; id est oportet humilem esse & docilem, quicumque considerare voluerit eximias Sancti Joachim, & Sanctæ Annæ virtutes. *Ausculda me cum quiete & silentio, explanabo tibi illas, & incipio à præcipuis.*

* *

ARGUMENTUM.

Trinitas Personarum divinarum formavit Decretum æternum de Nativitate Sanctissima Virginis, & trinitas virtutum executæ est illud in tempore.

ARTICULUS IV.

Virtutes formant corpora Sanctorum.

Plurimum differunt facere genealogiam hominum in terrâ, qui peccatores sunt, & facere illam hominum in cælo, qui sancti sunt. Ad efformandam genealogiam hominum in terrâ, dicitur, illos natos esse ex aliis hominibus, & hos ex aliis magis iterum iterumque antiquis, & exin collocantur in magno nu-

mero nomina eorum, quos habent, majorum. Sed quando ostenditur vera genealogia Sanctorum in cælo, dicitur, ipsos natos esse ex virtutibus. Sic Boëtius loquitur universim de omnibus justis: *Viri Sacri Corpus virtutes edificaverunt; dicit virtutes ædificare Sacrum Corpus, quod debeat esse palatium animæ sanctæ; siquidem*

Boëtius lib. de consolatione prosa 6.

R. P. Isaac Tom. III,

K

cum

cum impossibile sit universæ naturæ facere aliquem sanctum, necessarium est, illum esse opus gratiæ, quæ manum adhibeat, & navet operam cunctis virtutibus, ad illum tandem perficiendum.

sanctissima Virgo est opus virtutum parentum suorum. Sed dicendum nobis est, dum loquimur de Sanctissima Virgine, quæ est Mater omnium Sanctorum, quod ipsa non sit tam Filia corporum Patris sui & Matris suæ, quos duplex impotentia sterilitatis & senectutis incapaces reddebat ad illam progignendam, quàm opus earum, quibus abundabant, virtutum; ex quo non immeritò deduces, has mirum in modum in ipsis excellere debuisse, ut habiles essent ad conficiendum opus exquisitissimum, quod inveniri poterat post JESUM CHRISTUM. Si consideretur Mater admirabilis, Sanctissima Virgo in decretis æternis DEI, videbitur tota personarum divinarum Trinitas occupata in perficiendo illam; Et si attendatur in executione magni hujus decreti ac consilii, quod adimpletum est in tempore; videbitur alia quædam trinitas magnarum virtutum Theologicarum fides, spes & charitas parentum ipsius occupata ad progignendum illam.

Hoc valde mysticum est, interrumpit sylvius: Quantum ad me, non magni æstimo meditationes devotæ mentis, imaginantis sibi, quod omnes bonæ cogitatio-

nes, quas in suo fabricatur capite, evidentes existant veritates. Optarem aliquid certum & solidum, quod persuadeat mihi, Sanctissimam Virginem verè fuisse Filiam fidei, spei & charitatis Sancti Joachim, & Sanctæ Annæ. Id ita intelligo, reponit Viator, videbis me non absque solidis argumentis hanc proponere veritatem.

An credere in hoc non voles magno Apostolo, Sancto Paulo, huic Spiritus Sancti organo, & magno Ecclesiæ post JESUM Christum oraculo, quando loquitur de Abraham, qui vidit se Patrem Isaac grandævâ jam proventus ætate, & conjugem habens sterilem? Ipse expressè affirmat, profectam esse ex virtute fidei, & non infirmitate naturæ, hanc ipsi benedictionem. *Non Rom. 4. 10. hesitavit diffidentia, sed confirmatus est fide, dans gloriam DEO.* Dicit, quod trahi se non permisit à diffidentia, quam suggerere ipsi poterat infirmitas naturalis, sed quod firmiter in hæserit fidei, ut daret omnem DEO gloriam. Ecce igitur, quod Isaac verè sit filius fidei Abraham, juxta testimonium hujus Apostoli.

Et ex hoc ita discutro cum celeberrimo quodam Auctore, quamvis non admodum antiquo: Cum verum sit, quod fides dare possit soboles iis, quibus natura has denegat, majorem credendi habeo ansam, quod ipsa dederit Sanctissimam

Mag
nifestu
est, q
fides
nueric
ctissim
Virgini
ex Jos
quàm
ex Ab
ham.

Fides
hæc dicit
Filius

Rom. 4.
10.

Oscin
tom. 1.

Rom.

firmam Virginem Sancto Joachim & Sanctæ Annæ, quàm Isaac Patri suo Abraham, & Matri suæ Saræ, cum certum sit naturam illorum magis adhuc fuisse inutili-
 lem, magisque impotentem. Si-
 quidem in primis, si Abraham
 erat senex, erat etiam Sanctus Joa-
 chim; sed Abraham non erat ste-
 rilibus ex seipso, & Sanctus Joachim
 erat: Secundo si Sara erat sterilis,
 erat etiam Sancta Anna; sed Sara
 non peperit nisi aliquem Isaac
 unum è Patriarchis, virum qui-
 dem valde illustrem; & Sancta
 Anna est Mater Regina Patriarcha-
 rum, & Matris Unigeniti Filii DEI,
 unde concludo, quòd, quantum
 Sanctissima Virgo excellentior est,
 quàm Isaac, tantò fides, quæ illam
 dedit parentibus suis, excellentior
 sit, quàm fides Abraham. Non-
 ne videtur vobis, haudquaquam
 id esse puram imaginationem? Non
 dicit sylvius, probè video, fundatum
 id esse in ratione quantum spectat
 ad fidem; sed an idem dicere pote-
 ris, quantum ad spem pertinet?

Adhuc melius, promittit ipsi
 viator noster; prosequens enim
 discursum de Sancto Joachim &
 de Sancta Annâ, juxta exemplum
 Abraham & Saræ uxoris ejus, inve-
 nio, quòd Sanctus Paulus nobis
 clarè dicat, loquendo de Abra-
 ham: *Contra spem credidit in spem,*
ut fieret Pater multarum gentium:
 Id est, quòd contra omne genus
 spei humanæ, conceperit per si-

dem spem quandam divinam, sed
 spem firmum & certam, quòd
 futurus esset Pater plurimum na-
 tionum. Circa quòd formavit
 Sanctus Ephrem ingeniosum hunc
 conceptum, quòd spes humanæ
 & divinæ opposito prorsus ince-
 dant & ambulant passu: Nam
 spes humanæ videntur ab initio
 magnæ certitudinis, eòquòd plau-
 sibilis sint, & promittant bonum
 præsens magnâ cum apparentiâ;
 verùm debilitantur & imminuun-
 tur semper cum tempore, & ta-
 dem desinunt in nihilum, ita ut
 manifesta prorsus deregatur fraus
 pariens nobis tedium, quòd un-
 quam illis nos lætaverimus. Ve-
 rùm ex opposito spes divinæ vi-
 dentur admodum infirmæ ab iai-
 tio, ita ut non promittant nisi
 bonum absens, & modicam osten-
 dant & palàm exhibeant apparen-
 tiam; nihilominus hæc augentur
 quando spes humanæ imminuun-
 tur, & quantò hæc evadunt magis
 parvæ, magisque infirmæ, tantò ma-
 gis excrescunt aliæ, magisque con-
 firmantur. Et quando Abraham for-
 tibus innixus est promissionibus Dei,
 nisi quando non amplius vidit ali-
 quòd subsistum ex omni spe ac fi-
 duciâ humanâ!

Jam venio ad Sanctum Joachim
 & Sanctam Annam; nonne ha-
 bere debuerant ipsi spem magis
 sublimem, magisque firmam,
 quàm illam Abraham, eòquòd non
 solum hæc ipsis promittebat quen-
 dam

Ephrem de
 Abraham &
 Isaac.

Diferimen
 spei huma-
 næ & divi-
 næ.

Magis ma-
 nifestum
 est, quòd
 fides ge-
 nuerit San-
 ctissimam
 Virginem
 ex Joachim
 quàm Isaac
 ex Abra-
 ham.

videri
 az du
 Filium

Rom
 30

Oscul
 tom.

Rom. 5.

Spes Sancti
Joachim &
Sanctæ An-
næ firmior,
quàm illa
Abrahæ &
Saræ.

dam favorem, ubi nullam aspiciant apparentiam humanam; sed talem insuper pollicebatur illis benedictionem, quæ incomparabiliter transcendebat illam Abrahæ? Videtur, vacillasse paulisper Saram in spe suâ: siquidem scriptura affirmat, subrisisse ipsam, quando Angeli, quos velut hospites & advenas in domum suam recece erat, pollicebantur illi, quod habitura esset filium, quasi id haud aliter, quàm parvum quendam acciperet jocum; & ideò etiam natum infantem vocavit Isaac, quod significat risus. Sed Sanctus Joachim, & Sancta Anna tam firmiter suæ, innitebantur spei, ut nunquam ullum de illa admiserint dubium. Verùm quid adest apparentiæ, quod habituri sitis Filiam, quæ futura sit Mater Salvatoris Mundi, vos quos tanta aggravat senectus, geminata tenet sterilitas? Desiderium cunctarum Matrum veteris Testamenti erat, habendi filios; laetabantur insuper spe aspiciendi nasciturum è familiâ suâ Messiam: Sanctus Joachim & Sancta Anna dicere poterant, verum est, nullam adeste hâc apparentiam humanam; & ob id ipsum concipimus firmam spem divinam, quàm tenemus velut certissimam. O robur, ô dulcedo, ô pulchritudo hujus spei!

He. 40. v.
31.

Propheta Isaias dicebat olim:
*Qui sperant in Domino, assument
pennas sicut aquila: Quare non*

sicut columbæ, vel Falconum more, aut avium aliarum? Non, sed more aquilarum: Quare hoc? ob duas eximias rationes. prima est, quod nulla sit avium, quæ evolet tam alrè, tamque directè veris cælum sicut aquilæ; secunda, quia dicunt, pennas aquilæ nullas alias secum pati, sed devorare & consumere omnes pennas & plumas aliarum avium: ad infinuandum nobis, quod vera spes attollat animam usque in sinum DEI, & absolutè consumat omnes alias spes humanas in animâ, ubi suam defixit sedem. Judica, quanta debuerat esse fortitudo & sublimitas spei in Sancto Joachim, & Sanctâ Annâ, dum intueris, quid obtinuerint à DEO.

Benè quoque spei egisti causam, fatetur sylvius, & posthac non difficulter credo ipsorum charitatem pari ratione fuisse perfectissimam: Sed fortassis ignoras, adjungit Viator noster, in quo perfectionis gradu possederint illam; ipsorum fides, ipsorum spes nihil erant absque illa, siquidem hæc tota est illarum vita, illarum vis & robur. Sanctus Zeno tribuit elogium charitati, quæ depingant ad amissimam perfectionem hujus Regi-næ virtutum, quam observavit in Sancto Joachim & in Sanctâ Annâ.

O Charitas, inquit hîc Pater, vita fidei, robur spei, anima & charitas omnium virtutum, quàm pretiosa
Zeno loco
de fide,
& charitate
Elogia d
es,

vinc
tatis.

Conc
secat
turali
habu
sum
tivita
diffin
Viti
sed
amor
mus.

vinæ chari-
tatis.

es quàm dives es, quàm potens es; tu fecisti, ut homo esset DEUS & esset homo, tu coarctasti ipsius immensitatem, tu depressisti ipsius infinitudinem, ipsúmque humiliter ambulare fecisti in terris inter homines; tu ex ipso fecisti nobis captivum amoris, novem inclusum mensibus in sinu Virginis suæ Matris; tu reparasti in MARIA, quod destruxerat Eva; tu renovasti nobis senectutem primi Adam, per Adam novum JESUM Christum; Tu denique erexisti Crucem in monte Calvariæ, velut Altare magni sacrificii, ubi immolasti vitam DEI Hominis, ad salvandum vitam omnium hominum peccatorum.

Concupiscentia naturalis non habuit locum in Nativitate Sanctissimæ Virginis, sed purus amor divinus.

Sed quibus utebatur operariis divina hæc charitas ad conficiendum opera tam exquisita? dico vobis, ipsos fuisse Sanctum Joachim & Sanctam Annam; Nonne videtur vobis, divinam providentiam consultò expectare voluisse, quo ad vitæ ipsorum hyems, magna inquam senectus, ipsorum contexerat nive capita, ipsorumque infuderat arteriis glaciem, ad extinguendum omnem amoris sensum, quem inspirare poterat natura, & animandum utrumque in castis suis amplexibus, puris amoris divini flammis? omnes feminae veteris Testamenti ingenti flagrabant desiderio habendi soboles, edquòd aspirarent ad hoc omnes, ut Matres essent Mattis Messiaë promissi;

Mulieres veteris Testamenti ad MARIAM tendebant; Et pium hoc desiderium corrigebat non parum concupiscentiam naturalem. Quis dubitare potest, quin Sanctus Joachim & Sancta Anna, qui specialem habuerant revelationem à Sancto Archangelo Gabriele de obtinendâ summâ hæc felicitate, senserint cor suum ardentiori succensum desiderio, quàm omnes simul veteris Testamenti Matres, impertiendi & donandi Matrem DEI mundo.

Et unde oriebatur pium hoc desiderium, nisi ex purissimâ charitate? Intuebatur ibi gloriam DEI, aspiciebant ibi salutem mundi; prævidebant ibi inexhaustum hunc fontem gratiarum, quibus convertendi erant tot milliones peccatorum in mundo, & numerosissimi ex iis coronandi in cælo: Et hic purissimus, quo movebantur, in ipsis erat affectus. Si fidem adhibeas revelationibus Sanctæ Brigittæ adeò ab Ecclesiâ approbatis, invenies ibi, quod ipsa Sanctissima Virgo revelaverit illi Patrem suum, & Matrem suam non habuisse minimum voluptatis corporalis se generando sensum, sed ipsorum animas ad sublimem contemplationem magnorum prodigiorum, quæ infinita misericordia operatuta mox erat in mundo per Incarnationem verbi sui, mirè elevatas, aliud non habuisse objectum, nisi solum & unicum ho-

Richardus à S. Laur. lib. 1. de laud. Virg.

S. Brigitta lib. 1. revelat. c. 9. Sanctissima Virgo revelavit S. Brigittæ, quâ puritate sit concepta.

norem DEI, nec cor ipsorum ar-
fuisse, nisi puro illius amore: Hem!
quis diffitebitur, ita produci de-
buisse Matrem DEI, quæ perma-
nens Virgo data erat mundo
DEUM Hominem per operatio-
nem Spiritus Sancti.

Viator hæc dicens, pronuntia-
bat illa tantâ cum Spiritus Sancti
unctione, ut videretur è labiis
ipsius diffluere gratia, corque
ipsius, quod magis loquebatur,
quàm ipsius lingua, totum colli-
quesieri in dulcedinem: Ipsemet
Sylvius, quamvis non admodum
magnam spiraret devotionem, vi-
debat commotus, totusque im-
mutatus; unde & continere se non
potuit, quia ejusmodi produceret
& ex cordis abundantia eructaret
affectum. O mi DEUS? quàm
verum est, veritates divinas, lon-
gè alterius saporis esse, quàm va-
nitates humanas! Quàm fortuna-
tum me crederem, si majus illa-
rum mihi foret experimentum!
ô quàm modicum mihi hujus est
fidei, hujus spei, hujus divinæ
charitatis, quæ ita abundant in ani-

Veritates
divinæ lon-
gè, aliter
consolantur
cor quàm
vanitates
humane.

mabus beatissimorum parentum
Sanctissimæ Virginis! Video con-
fusus quidquam tam magni in hoc,
ut benè capiam, majorem hæc
non esse felicitatem in præsentia vi-
tâ. Sed Eheu! hoc cur ipsemet
tibi adsciscis Eheu! Non nisi per
te stabit. Nonne præcipua &
quasi essentialis vitæ Christianæ
pars est, exercere se incessanter
in actibus, in effectibus, in ope-
ribus trium harum virtutum Theo-
logicarum, fide, spe & charita-
te? Et occur tanta nobis Christia-
nis est vecordia, nisi quia cordi
nobis non est frequens trium ha-
rum virtutum exercitium? Moz
igitur firmissimè secum statuit illis
deinceps ferventem & assiduam
navare operam; sed an redegerit
in opus, me latet. Interim
viator noster stare voluit promif-
sis à se factis, demonstrando no-
bis, quâ ratione omnes virtutes
conjunctæ simul fuerint in anima-
bus Sancti Joachim & Sanctæ
Annæ, ad disponendum ipsos
dignè, ut sanctissimæ Virgi-
nis essent parentes.

ARGUMENTUM.

*Connubium plurimum Virtutum in animabus San-
cti Joachim & Sanctæ Annæ, fecundos reddiderunt ipsos,
non obstante Corporum suorum sterilitate.*

ARTICULUS V.

Bona exin auguror, dum pro-
nuntiari audio Nomina San-
cti Joachim & Sanctæ An-
næ: Siquidem Joachim idem est,
quod *Elevatio Domini*, & Anna
idem est, quod *gratia*. Connubium

bium duorum horum Nominum pollicetur iudicio meo aliquid magni, & inusitatam quandam felicitatem; sed hoc non erit ex natura; cum ambo sint steriles, & juxta opinionem nationis suæ, & sæculi sui infelices.

Optimè exploratum est omnibus, quod virtutes afferant animabus fecunditatem spiritualem, locupletando illas plurimis bonis operibus, veluti totidem pignoribus, à quibus coronentur gloriâ in æternitate. Sed quod virtutes, quæ spirituales sunt, conferant etiam fecunditatem corporalem, persuadere nobis non possumus, nisi illius videamus & argumenta & exempla manifesta in Sacra Scripturâ.

1. Reg. 1. 7.
8.
Connubium Je-
sui, & pre-
cum pro-
gignit Pro-
phetam Sa-
muelem,

Resonat adhuc hodie post tot elapsa sæcula, sterilis cujusdam lamenta feminae, & illa, quibus maritus ipsius Elcana ex compas- sione, consolari ipsam in vanum conatus est, verba: *Anna, cur flet, nonne tibi melior sum quam decem filii?* Anna cur affligeris, te Matrem non esse; nonne major tibi affluit Felicitas, possidendo me, quam si denos possideres filios! Verùm, id ipsum non consolatur, vult habere filios, aliàs se semper æstimabit infelicem: Quid faciat in extremâ hæc afflictio- ne, & impotentia suâ? natu- rali? Ubiprimùm conjungere no- verat virtutes, jejunium cum ora- tione in animâ suâ, desiderata

tam obtinet fecunditatem, & aspicit se Matrem magni Pro- phetæ, nempe Samuelis. S. Basi- lius hoc affirmat verbis expressis: *Samuelem nonne deprecatio cum je- junio donavit Matri?* Connubium hoc est virtutum & non corporum suorum.

Abraham præpeditum se vidit impotentiam comparandi sibi filios ex Sarâ, quæ sterilis erat; sed be- nè novit connubium virtutum in animabus conferre posse fecundi- tatem corporibus; conjungit si- mul amorem DEI sui & proximi sui, Eleemosynam & hospitalita- tem; & cum universa terra non suppeteret, unde suppeteret ipsi miseros, ad exercendum suam er- ga eos charitatem per Eleemosy- nas, cælum submitit ipsi Angelos, ut ansam præberet illi suam exer- cendi hospitalitatem, non solum in miseros, sed etiam beatos; & quamprimùm fecundum se vidit ex harum connubio virtutum; efficitur Isaaci Pater, qui singulari affectu ipsum gaudio, totam natio- nem ejus felicitate, & admiratione cuncta sæcula.

S. Basil.
hom. de Je-
juatio.

Virtutes
conjunctæ
in Abra-
ham, pro-
gnaerunt
ipsi Isaac fi-
lium.

Verùm exempla hæc, quæ tam Sanctissima Virgo na- scitur po- tius è con- nubio vir- tutum. quam ex il- lo corpo- rum paren- tum suo- rum.

ter DEI ex sterilitate corporum Sancti Joachim & Sanctæ Annæ ob fecunditatem omnium virtutum, quas fortunato connubio in suis animabus habebant conjunctas. O prodigium fecunditatis (quando tota natura erat impotens, immutata, & quasi annihilata in eis) hæc conferebant ipsis potentiam progignendi Matrem DEI!

Pietas & religio S. Joachim.

Religio est omnium virtutum præcipua post Theologicas, & hæc erat, quæ affixerat ipsos Altari & devotioni tanto cum Zelo, ut, cum divisissent facultates suas in tres partes, illam primam & præcipuam offerrent templo; exercitia ipsorum erant sacrificia frequentissima, & hæc admodum tum magnifica, tum munifica adorationes & observationes nunquam intermissæ, ita ut plures existimaverint Sanctum Joachim esse Sacerdotem, non quod fuerit è tribu Levi, ex quâ omnes sacerdotes erant, sed quod ipsius pietas æstimari fecerit ipsum velut unum ex beatis illis domus DEI incolis & habitatoribus.

Humilitas comitem sese adjungebat ipsorum Religioni: Et hæc est, quæ conservavit mansuetudinem & pacem in animâ Sancti Joachim, quando repudatus & expulsus est è templo, ab indiscreto quodam presbytero, tanto cum despiciatû ac injuriâ, in exercitio & actu, ubi ab inusitato devotionis suæ fervore

impulsus fuit, ut omnium primus sua offerret Altari mumerâ: Hæc quoque fuit, quæ similiter exornans animam Sanctæ Annæ, ipsam extimulavit, ut redderet grates DEO pro palmari hæc injuriâ quàm recipiebat ipsa in perdilecti conjugis sui personâ.

Solitudo, silentium, oratio & intima cum DEO unio in consuetis suis contemplationibus attollebant ambos, & elatos tenebant supra mundum. Anna precabatur in horto suo, sicut postea fecerat JESUS Christus: Quia autem non dicitur, quod Adam aut Eva precati unquam fuerint in illo horto deliciarum, ubi collocaverat ipsos DEUS ab initio, hujus forsitan defectus orationis, fuit ipsis causa casûs & ruinæ. Joachim precabatur in deserto suo & supra montem, ad exemplum Moysis, qui post commercium intimum & admodum familiare cum DEO in oratione, descendit de monte suo, habens faciem tanto circumfusam radiorum splendore; ut necessum fuerit cooperire illam velo ad temperandos ipsius fulgores: Quod ponderans S. Methodius judicavit, credibile esse, quod Moyses penetraverit tunc in arcana DEI & perfectam obtinuerit cognitionem mysterii Incarnationis, eoque ostenderit populo illius imaginem, per divinam hanc gloriam sub velo absconditam, quodque consequenter viderit excellentias

San.

Mira
cund
junio
amor
quan
mul
bant

Solitudo
oratio
Joachim
S. Annæ

Pulchra
imago
sterii
carnationis

S. An
lib 2
c. 2
Hosp
tas A
& ill
S. Jo

Sanctissimæ Virginis, Matris Verbi Incarnati. An absque temeritatis nota non credamus, quod Sanctus Joachim, qui longè propius Moyse tangebatur ipsam, ejusmodi cognitionem receperit à DEO in oratione suâ?

Mira fecunditas jejunii & amoris, quando simul copulabantur.

Jejunium & Eleemosyna simul copulabantur, ut cum toto suo comitatu incohererent animas Sancti Joachim & Sanctæ Annæ: jejunium cum suis austeritatibus, suis vigiliis, vestimentis suis asperis & vilibus, & cunctis aliis pœnitentiæ exercitiis; Eleemosyna cum totâ suâ munificentia pro subsidio pauperum & consolatione afflictorum: defensio pupillarum, cum omnibus aliis bonis operibus, quæ ipsa progignit ex charitate erga proximum; ad hoc enim tertiam facultatum suarum destinaverant partem. Mirum igitur non est, si duæ hæc virtutes bonis operibus tam fecundæ, cum concunctæ fuerint in ipsis, locupletaverint illos admirabili hæc fecunditate in progignendâ Mater DEI.

Exercitium charitatis erga proximum, magis familiare antiquis Patriarchis, mediante quo plurimas sibi benedictiones attrahebant è cælo, erat hospitalitas. Hæc præcipue fuit illa, juxta mentem S. Ambrosii, quæ progenuit Isaac è senectute Abrahæ, & sterilitate Saræ uxoris suæ. Abraham pro hospitalitatis mercede fructum posteritati accepit. Sed quis un-

R. P. Isaac, Tom. III.

quam hospitalitatem tam excellenter exercuit, sicut S. Joachim & Sancta Anna? Parum est dicere, quod domus ipsorum extiterit domus peregrinorum, advenarum, & eorum, qui omni destituti erant humano subsidio: parum est quoque dicere, quod mernerint, velut Abraham, recipere Angelos è cælo. Sed quando Unigenitus DEI Filius advena & peregrinus esse voluit in terris, nonne summâ potiti sunt felicitate, quam Reges terræ desiderare potuissent, recipiendo ipsum in Nazareth in domo suâ: & magis specialiter in pretioso illo, quod præparaverant ipsi, tabernaculo Sanctissimâ nimirum Virgine, Filiâ suâ; Ô DEUS! quantâ cum gaudii abundantia audient in fine sæculorum suavissima hæc verba ad se sigillatim directâ: Hospes eram, & collegistis me!

reddiderunt ipsos fecundos.

Cum spectet ad Eleemosynam & hospitalitatem conferendi ejus, qui exercent illam, tam ingentem fecunditatem, ut reddant ratione quâdam ipsos patres tot filiorum, quot aluerunt pauperes: DEUS contentus non est approbare aut canonizare sanctum hoc exercitium per plura miracula in hominibus, sed offendere quoque voluit miraculosam hanc fecunditatis ipsius virtutem in rebus sensu & ratione carentibus, quando aliquam solummodò umbram exhibuerunt hospitalitatis. Sanctus

L

Abbas.

S. Ambros. lib. 2. offic. c. 2. Hospitalitas Abrahæ, & illa sancti Joachim

Petrus de
Natalibus
lib. 3. c.
207.

Prodigium
Hospitali-
tatis in ar-
bore.

Abbas Joannes, cum proficiscere-
tur è Syriâ in Italiam, charitative
receptus fuit in domo piæ cujus-
dam viduæ; non constat adhuc,
qualem remunerationem acceperit
ipsa à DEO invisibiliter: Sed San-
ctus Abbas prosequens iter suum,
cum aliud hospitium non veniret,
admonitus fuit ab Angelo, ut re-
ciperet se sub quandam arborem,
quæ ob hyemis intemperiem ob-
tecta tunc erat nive & clacie; sed

mox ubi eo, quo potuit, modo
suam erga hunc peregrinum exer-
cuit hospitalitatem, ingenti cum
miraculo, recepit omnem, quem
tempore verno hauerat, & virore
& vigorem, totaque apparuit eo-
rum amicta floribus. O potentiam
admirabilem hospitalitatis, quæ
operata est luculentum hoc prodi-
gium; quot mira operatis in-
visibilia, quæ igno-
rantur!

ARGUMENTUM.

Fructus hujus Consultationis.

ARTICULUS VI.

ADvertebam Mactinam avi-
dis excepisse auribus totum
hunc discursum; sed no-
tabam quoque, ipsam magnam si-
bi intulisse vim. ut tanto tempo-
re suam contineret linguam, quo
siebat, ut moreretur quasi præ lo-
quendi desiderio. Volens igitur
ipsius delinire pœnam, conver-
sus ad ipsam interrogavi. Quid
videtur tibi de eo, quod dictum
est? profecto, respondit, admi-
rabilis Sanctæ Annæ videtur felicitas,
quod receperit, & tanto tempo-
re hospitium præbuerit Matri DEI,
& Filio ipsius Unigenito in domo
suâ: Verum si velis, majori fru-
eris felicitate, quàm fortunata hæc
hospita. Et quid faciendum?

Benè degusta dulcorem magni-

ficæ hujus promissionis, quàm JE-
SUS Christus facit in Evangelio: ^{Joan. 14}
*Si quis diligit me, Pater meus dili-
get eum, & ad eum veniemus, &
mansionem apud eum faciemus.*
Ne amplius invidas Sancto Joa-
chim & Sanctæ Annæ de eâ; quæ
potiti sunt felicitate, recipiendo
Beatissimam Virginem & adorand-
um ipsius Filium in domo suâ:
Ecce omnes tres Personæ adorand-
æ Trinitatis, Pater, Filius & Spi-
ritus Sanctus promittunt tibi, quod
venire velint ad te, & habitare
non solum in domo tuâ, sed in te
ipso, in corde tuo, in penetrali-
bus animæ tuæ, si amaveris DEUM.
An benè capis felicitatem summam,
quàm tibi hæc verba pollicentur?
an credis illa firmiter? Tam vera
sunt

sunt ipsa, quam verus est DEUS, qui illa pronuntiavit; non alio tibi opus est, nisi amare DEUM, & amare illum ex toto corde tuo. Et ecce sponsonem, quã se obligavit: si quis diligit me, veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

Sed quã ratione, respondit mihi, amabimus ita DEUM ex toto corde nostro, nos, qui sumus in medio mundi, ubi tot ac tanta videmus, à quorum amore vix nos poterimus continere? si amem DEUM ex toto corde meo (qui dicit totum, nihil excipit) & sit totum cor meum, & totus amor meus est pro DEO solo, nihil residuum erit, quod amem; quam vim deberem inferre mihi; Et quantam erga amicos meos incurrerem ingratitude notam? quã ratione fieri possem tam insensibilis, & omni carere amicitia in vita humanã? Quantum ad me, abstinere ab illius amore non possum, quod amabile mihi videtur. Haud abnuo, amabilem esse DEUM; fateor etiam, amandum ipsum esse super omnia, sed amore valde spiritali, qui non magis percipitur, quã percipitur ipse DEUS; & hoc non impedit; quin amemus cetera omnia ex toto corde nostro & amore admodum sensibili. Dicebat ipsa hoc cum certã quãdam complacentiã, quã haud parum oblectabatur, putans se bene dicere; cum tamen loque-

retur reipsã juxta effeminatissimum spiritum mundi, quem sequuntur ii, qui contenti sunt dare cogitationes & imaginationem DEO, dum consecrant omnem affectum & effectum amoris sui creaturis.

Sed hæc omnia me non turbant, interumpit Macrina, non sum assueta omnibus hisce abstractionibus; permitto omnem libertatem amanti cordis mei erga id omne, quod videtur amabile, modò malum non sit; non enim est anima mihi, quæ facta sit ad amandum: malum dicitur mihi, DEUM esse bonum super omnia bona, quem etiam super cetera omnia amare cupio; sed bonum hoc est bonum spirituale, quod non video; non possum igitur id amare, nisi amore quodam spiritali, quem non percipio: sed propriis meis oculis aspicio creaturas, quæ admodum amabiles mihi videntur, ultra quod perfectiones habeant plurimum considerandas. Novi insuper me amari ab illis, & idcõ continere me non possum, quin redamem illas; Et si hanc illis non redderem justitiam, arguere me ipsum deberem ingratitude & ignavia, quod nec volo, nec possum. Et hæc ratio, judicio meo, tenenda est cunctis hominibus honoratis; Et dicas, quidquid volueris, nunquam immutaveris hunc usum, qui invaluit pãne in universo orbe.

Deceptio eorum, qui putant se bene amare, dum amant bonum naturaliter.

Homines
mundani
capere non
possunt ve-
ritates divi-
nas.

O quàm verum est, hominem animale non percipere ea quæ DEI sunt! quàm difficile est homines vitæ purè naturali assuetos, qui non nisi rationibus reguntur humanis, qui non nisi proprias sequuntur inclinationes, vel torrentem consuetudinis humanæ! quàm difficile est, inquam, declarare illis ea, quæ DEI sunt! Eheu! quàm procul ab illis absunt! attolluntur enim hæc magis super illa omnia, quàm attollatur cælum super omnem terram: Verum est id, quod dicitur, quòd ad inveniendum DEUM oporteat amittere terram, & ad degustandum paulisper veritates divinas & æternas, renunciandum sit sensui naturali, cujus ductum & dictamen plerique sequuntur hominum. Adniti volebam, ut errore eximerem hanc personam, illamque deducerem eò, ut aperiret oculos veritati; ideo dixi ipsi.

Tu, quæ ita dividere præendis amorem tuum DEUM inter & creaturas, an defendere poteris in iudicio ejus, quòd custodièris juxta id, quod debes, maximum præceptum legis ipsius, obligantis te verbis tam formalibus, tam evidentibus, tam efficacibus? *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, ex totis viribus tuis.* An intelligis hoc benè? dicit, ex toto cor-

de tuo; Non dicit, ex parte cordis tui, sed requirit totum cor, id est, totum amorem cordis pro se solo, & non partem, quam ipsi dare volumus, ut demus alteram creaturis: an benè capis, hoc esse præceptum, & non simplex consilium? dicit tibi, quòd hoc sit primum & maximum mandatum legis, quòdque consequenter obliget tam strictè, ut quicumque id non servaverit, damnandus sit in æternum? An negabis hanc obligationem? probè vides, id esse impossibile, nimis enim luculenter declaratur in lege: An ergò dicere audeas, quòd satisfeceris illi, quando diviseris amorem tuum DEUM inter & creaturas? Et omnes illi viti honorati, qui ita amant, uti tu dicis, an assecurare se possunt, quòd benè ambulent in viâ salutis suæ.

Advertebam probè, veritates has dissipasse ratione quâdam tenebras illius, cui verba faciebam, ipsamque non amplius ita firmiter sicut ante, suis inhzere regulis, placitis & effatis, cum obmutuerit & manserit absque verbo. Sed videbatur, ipsius oculos esse offusos nimio lumine; ideo permisi ipsam se colligere paulisper, illasque veritates degustare melius, & penitentiâ ponderare. Et hæc ratione finem fecimus nostræ Consultationi.